

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ipocrisis x  
cum fonte primo

Ypocrita in laude positus, si hunc quisquam corripere audeat,  
asperitate sua protinus uitam corripiens cecat.

Reprehensum se in prauitate irascitur, loqui sibi redarguentem,

deterior efficitur, exasperatus in contumeliam surgit.

Bona opera sua in usum proprie laudis assumit,

quod solius proprium est Dei, sumit in laudem, sui scilicet gloriam. [fons nondum repertus]

Gregorius in moralibus.

In flore suo manum carpentis incidit  
quia in laude hypocrita positus, ne hunc quisquam corripere audeat,  
asperitate sua protinus uitam corripiens secat.  
Sanctus namque non esse appetit, sed uocari;  
et cum fortasse corripitur quasi in opinionis gloria detruncatur.  
Deprehensum se in prauitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet,  
quia uelut in occulto uulnere tactus dolet.  
Qualis imperitis innotuit, talis uult ab omnibus aestimari;  
→ et paratiō mori quam corripi, redargutione deterior redditur,  
quia quasi dirae percussionis aestimat iaculum, puritatis uerbum.  
← Vnde exasperatus protinus in contumelias surgit  
et quae mala exaggeret contra uitam correptoris inquirit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 8.42 (CCSL 143, M. Adriaen ed.,  
pp.433-4, ll.37-49).

Scirpus igitur uel carectum sine aqua non uiuit,  
quia nimirum hypocritae non nisi ex superno munere uiriditatem  
bonae operationis accipiunt;  
sed quia hanc in usum proprie laudis arripiunt in aqua quidem uirides,  
sed tamen inanes crescunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 8.42 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.433,  
ll.28-32).